

non fuisse omnino sui oblitum, ut supra Calvinus dicebat, sed suam etiam gloriam apud Deum desiderasse, et petivisse eo modo et ordine quem charitas postulabat. Hoc etiam confirmat illud Apocalyp. 5: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere divinitatem*, id est, ut ab omnibus cognoscatur, et honoretur tanquam verus Deus. Testimonia etiam citata in principio sectionis præcedentis hanc conclusionem confirmant. Ratio denique est eadem, quia hic concurrunt omnia necessaria; et præterea hæc excellentia et exaltatio merito debebatur eximie Christi humanitati.

9. Sequitur primo, meruisse Christum Dominum ea testimonia dignitatis et majestatis suæ, quæ illi data esse in Evangelio legimus, quale fuit testimonium Patris post baptismum, Matthæi 3; et post transfigurationem, seu in transfiguratione ipsa, Matth. 17. Et idem verisimile est de testimonio et laudibus Angelorum in die Nativitatis, et de manifestatione facta Magis per stellam, et similibus; quia, licet hæc omnia propter utilitatem nostram facta sint, tamen ad exaltationem et gloriam Christi pertinebant; utraque ergo de causa, scilicet nostra et sua, meritis illius debita fuerunt.

10. *Objectio. — Responsio. —* Secundo, sequitur meruisse Christum aliquo modo regnum et dominium in universum orbem; quia hoc etiam pertinet ad externam gloriam et manifestationem nominis illius; et indicatur ab Augustino, lib. de Unitate Eccles., c. 7 et 8, ubi varia congerit Scripturarum testimonia, quale est illud Psal. 2: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*; et illud Psalm. 21, ubi post narratam Christi passionem subditur: *Convertentur ad Dominum universi fines terræ*; et alia similia ponit præcipue ex Isai. et Psalmis. Est autem optimum illud ad Rom. 14: *Christus in hoc mortuus est, et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur*, quæ verba imitatus Cyrill., lib. 11 in Joan., c. 17, dicit: *Unum mori oportuit, sufficientem pro omnium vita redemptionem, ut vivorum et mortuorum imperium acciperet*. Sed contra, quia hoc dominium et regnum habuit Christus a principio conceptionis ex vi unionis. Propter hoc Soto, in 4, dist. 47, q. 1, art. 2, videtur negare hanc conclusionem, cum tamen affirmet meruisse dignitatem capitis, et eadem ratio de illa procedat; nam illam etiam habuit a principio conceptionis, imo hæc dignitas illam potestatem includit. Observandum

ergo est, si loquamur de titulo supremi regis et domini, qui est proprius Dei, et per communicationem idiomatum homini communicatur, verissime dicitur Christum non meruisse ut summo Dei imperio potiretur, neque ut esset caput Angelorum, eo modo quo est caput in quantum Deus. Hos enim majestatis titulos non magis mereri potuit quam incarnationem ipsam; conclusio ergo loquitur de dominio et regno quod in humanitate assumpsit, ut latius, q. 22, explicandum est. De quo ulterius est observandum, Christum a principio habuisse hoc dominium et regnum, quasi in radice et proprietate, et sic illud non meruit; et eodem modo habuit dignitatem capitis, quam similiter non meruit; caruit tamen veluti possessione et usu hujus domini et dignitatis, et hoc modo dicimus illud postea meruisse, quomodo dixit recte Bernar., lib. 3 de Consider., Christum merito redemptionis vendicasse sibi possessionem cæli et terræ, juxta illud Matt. ult.: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*. Tertio, sequitur meruisse Christum Dominum judicariam potestatem, ut recte docet S. Thomas infra, q. 59, art. 3, et confirmat ex illo Job 36: *Causa tua tanquam impii judicata est, causam judiciumque recipies*. Quæ verba de omnibus justis injusta patientibus intelligit Greg., lib. 26 Moral., c. 25; D. Thomas autem recte illa Christo accommodat, quia in illum principalis et quasi per antonomasiam conveniunt, quod etiam confirmat illud Joan. 5: *Dedit illi judicium facere, quia filius hominis est*, ut late tractat Augustinus, serm. ult. de Verbis Domini; et Vigilus, lib. 5 contra Eutychem. Sed de hac potestate in ultimis disputationibus sequentis tomi, fusius nobis dicendum est.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus aliis mereri potuerit<sup>1</sup>.*

1. *Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus aliis mereri non potuerit. Dicitur enim Ezech. 18: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Ergo pari ratione anima, quæ meretur, ipsa remunerabitur. Non ergo est possibile quod Christus aliis meruerit.*

<sup>1</sup> Infra, q. 48, art. 1, corp., et art. 6, et q. 49, art. 1, corp.; et 2, dist. 20, q. 2, art. 3, ad 3; et 3, dist. 18, art. 6; et Ver., q. 26, art. 6, ad 20, et q. 29, art. 7.

2. *Præterea, de plenitudine gratiæ Christi omnes accipiunt, ut dicitur Joan. 1. Sed alii homines habentes gratiam Christi, non possunt aliis mereri; dicitur enim Ezech. 14, quod si fuerint in civitate Noe, Daniel et Job, filiam et filiam non liberabunt; sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas. Ergo nec Christus potuit aliquid nobis mereri.*

3. *Præterea, merces, quam quis meretur, debetur secundum justitiam, et non secundum gratiam, ut patet Rom. 4. Si ergo Christus meruit salutem nostram, sequitur quod salus nostra non sit ex gratia Dei, sed ex justitia; et quod injuste agat cum eis, quos non salvat, cum meritum Christi ad omnes se extendat.*

*Sed contra est quod dicitur Rom. 5: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sed demeritum Adæ derivatur ad condemnationem aliorum. Ergo multo magis meritum Christi ad alios derivatur.*

*Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est<sup>1</sup>, in Christo non solum fuit gratia, sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite totius Ecclesiæ, cui omnes uniuntur, sicut capiti membra, ex quibus constituitur mystice una persona. Et exinde est quod meritum Christi se extendit ad alios, in quantum sunt membra ejus, sicut etiam in uno homine actio capitis aliquantulum pertinet ad omnia membra ejus; quia non solum sibi sentit, sed omnibus membris.*

*Ad primum ergo dicendum, quod peccatum singularis personæ non nocet nisi sibi ipsi; sed peccatum Adæ, qui constitutus est a Deo principium totius nature, ad alios per carnis propaginem derivatur. Et similiter meritum Christi, qui est a Deo constitutus caput omnium hominum, quantum ad gratiam, se extendit ad omnia ejus membra.*

*Ad secundum dicendum, quod alii de plenitudine Christi accipiunt, non quidem fontem gratiæ, sed quamdam particularem gratiam; et ideo non oportet quod alii homines possint aliis mereri, sicut Christus.*

*Ad tertium dicendum, quod sicut peccatum Adæ non derivatur ad alios nisi per carnalem generationem, ita meritum Christi non derivatur ad alios, nisi per generationem spirituales, quæ fit in baptismo, per quam homines Christo incorporantur, secundum illud ad Galat. 3: Omnes quotquot in Christo baptizati*

<sup>1</sup> Quæst. 8.

*estis, Christum induistis. Et hoc ipsum est gratiæ, quod homini conceditur regenerari in Christo: et sic salus hominis est ex gratia.*

Etsi D. Thom. de sola potestate videatur inquirere, respondet tamen Christum Dominum aliis meruisse, in quos gratiam influit, sicut caput in membra. Et in littera D. Thom., quæ brevis est, nulla est difficultas, præterquam in solutione ad tertium, quam in sequenti disputatione latius tractabimus.

## DISPUTATIO XLI,

In quatuor sectiones distribuua.

DE HIS QUÆ CHRISTUS DOMINUS HOMINIBUS MERUIT.

Quod Christus Dominus hominibus meruerit, non est quod in quæstionem vertamus, quia inter Catholicos de hac veritate controversia non est. Contra hæreticos vero Pelagianos, Petrum Abailar., et alios, satis multa dicta sunt supra, q. 1, art. 2; et in tota hac disputatione, ostendendo quid nobis meruerit, simul constabit hominibus meruisse. Quatuor ergo sunt de quibus hoc loco disputare possumus, scilicet de prima gratia et gloria, de dispositionibus et auxiliis quæ illam antecedunt, de merito et augmento quæ illam consequuntur usque ad gloriæ consecutionem, ac denique de tota hominum prædestinatione, de quibus sigillatim dicemus.

## SECTIO I.

*An Christus meruerit nobis primam gratiam, et gloriam, et remissionem peccatorum.*

1. Multa sub hoc titulo comprehenduntur, quæ breviter expediri possunt, quia non sunt admodum controversa, ut an Christus meruerit hæc omnia hominibus qui illum subsecuti sunt, et an illis qui ipsum præcesserunt, et an primis hominibus in statu innocentie, vel an simpliciter omnibus hominibus, vel tantum aliquibus.

2. Dico ergo primo: Christus omnibus hominibus sufficienter meruit remissionem peccati, tum originalis, tum etiam actualis. Est de fide, ad Rom. 5: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, etc., multo magis gratia Dei, et donum, in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*; et infra: *Gratia autem ex multis delictis in justificationem*; et infra: *Multo magis abundantiam gratiæ donationis et justitiæ accipientes,*

in vita regnabunt per unum Jesum Christum; et infra: Ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi; et ad Coloss. 2: Vos cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta, usque ad illud: Expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso; et frequentissime in suis epistolis hoc repetit Paulus præsertim tota epistola ad Rom., ad Galat., et ad Hebræ.; et Joan., 1 Canon., c. 2: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi; et plura alia in hujus veritatis confirmationem adduximus supra, q. 1, art. 2, agentes de satisfactione Christi; sicut enim Christus sufficienter satisfacit pro peccatis omnium hominum, ita omnibus remissionem meruit; est enim eadem utriusque ratio, quia, sicut Christi satisfactio est infinita, ita et meritum, et utrumque oblatum est pro salute et redemptione hominum; ergo de justitia illam meruit, quia ratione suæ personalis dignitatis, et gratiæ capitis, quæ illam consequitur, non solum sibi, sed etiam aliis de justitia mereri potuit. Et confirmatur, nam hoc modo magis ostenditur divina justitia et misericordia in remissione peccatorum hominum, ut agentes de satisfactione late diximus.

3. *Objectio.*—*Responsio.*—Dices: si Christus omnibus meruit remissionem peccatorum, quomodo non omnes illam consequuntur? Respondetur: ideo dixi, sufficienter omnibus meruisse; distinguunt enim Theologi duplicem rationem, seu considerationem meritorum Christi, scilicet, quoad sufficientiam, et quoad efficaciam; et quoad sufficientiam, dicunt meruisse Christum omnibus hominibus remissionem peccatorum, quia pro omnibus obtulit sufficiens meritum, quod esset universalis causa, seu generale præfium quo omnes uti possent, ut a servitute peccati et potestate dæmonis liberarentur; non tamen meruit hanc remissionem omnibus quoad efficaciam, quia non applicuit suum meritum, ut omnes infallibiliter talem effectum consequerentur, sed voluit per ordinata media applicari, media libertate, et voluntate humana, per quam interdum talis applicatio impeditur; et ideo Paulus, quamvis 2 ad Corint. 5 dixisset: *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi*, scilicet quoad sufficientiam, addit statim: *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*, scilicet quoad efficaciam; hoc enim pendebat

ex eorum arbitrio; sic etiam Apoc. 1 dicitur: *Christus lavisse nos a peccatis in sanguine suo*; et tamen c. 7, quidam specialiter dicuntur *lavisse stolæ suas in sanguine Agni*, scilicet quoad efficaciam. An vero hanc ipsam efficaciam et applicationem suorum meritorum Christus illis meruerit, quibus confertur, infra dicitur.

4. Dico secundo: simili modo meruit Christus omnibus hominibus primam gratiam sanantem naturam a lapsu peccati. Est de fide, Joan. 1: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; et statim subdit: *Verbum caro factum est*, et concludit: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, quod testimonium in hujus veritatis confirmationem optime explicat August., lib. 13 de Trinit., c. 9. Eandem convincit testimonium Pauli, ad Rom. 3: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*; et ad Eph. 1 *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum divitiis gratiæ ejus, quæ abundavit in nobis*. Et similia habentur ad Coloss. 1, et 1 ad Tim. 2, ad Tit. 2, et sæpe alias; et definita est hæc veritas in Conciliis fere integris, Milev. et Arausic. II, et expresse in Trident., sess. 6, cap. 7, quare superfluum est testimonia Sanctorum Patrum referre in re tam perspicua, cum præsertim complures supra retulerimus, q. 1, art. 2, et ex iis quæ in sequentibus sectionibus afferemus, hoc a fortiori comprobari possit. Ratio vero eadem est quæ pro priori assertionem; hæc enim conclusio ex illa necessario sequitur; nam remissio peccati, tam originalis quam mortalis, non confertur homini, nisi per infusionem gratiæ et justitiæ, et ideo Christus unum sine alio mereri non potuit.

5. *Objectio.*—*Responsio.*—Sed contra. Ergo gratia non datur nobis gratis, sed ex justitia, quandoquidem jam Christus nobis illam meruit, et pretium dedit quo illam emeremus, quod repugnare videtur Paulo, ad Rom. 3, dicenti nos esse *justificatos gratis per gratiam ipsius*. Et confirmatur, nam Paulus, ibidem, c. 4, ait, *mortuum esse Christum propter delicta nostra, resurrexisse autem propter justificationem nostram*; per resurrectionem autem nihil meruit, ut supra diximus: ergo. Ad argumentum respondet hic D. Thomas ad tertium obscure; sed illius sensum infra expendemus; nunc breviter respondetur aliter, primam gratiam nobis gratis dari respectu nostri, id est, sine merito nostro de condigno,

et hoc sensu dicere Paulum nos justificari gratis, ut etiam Concilium Tridentinum exposuit, sess. 6, c. 8; respectu vero Christi datur nobis gratia ex justitia, et ex perfecto merito; unde quando Augustinus, lib. de Prædest. Sanct., c. 15, dicit, tam gratis justificari hominem, quam gratis Deus factus est homo, non simpliciter, sed respective intelligendus est, id est, tam ex nullo merito peccatoris illi dari gratiam, quam ex nullo merito Christi humanitati ejus data est gratia unionis. Ad confirmationem respondetur, Christum per mortem suam tam remissionem peccatorum, quam justificationem et gratiæ infusionem nobis meruisse; quia, ut dixi, non potest saltem de potentia ordinaria alterum horum cadere sub meritum sine altero; unde S. Thomas infra, q. 56, art. 2, ad citatum locum Pauli, respondet, in genere causæ exemplaris mortem Christi dici exemplar destructionis peccati; resurrectionem vero, justificationis, per quam animæ vita acquiritur. Dici etiam potest Christum esse mortuum propter delicta nostra, id est, ut pro eis satisfaceret, eorumque remissionem quoad sufficientiam nobis mereretur; resurrexisse vero, propter nostram justificationem, non quidem ut per suam resurrectionem illam nobis mereretur, quam jam plene meruerat, sed ut meritum ejus posset nobis applicari; nam si Christus non resurgeret, nemo in ipsum crederet, existimaretur enim *vana fides ejus, et inanis prædicatio ejus*, ut dicitur 1 ad Cor. 15; si autem in eum non crederemus, non applicaretur nobis meritum ejus, nec re ipsa justificaremur, nemo enim nisi per fidem Christi justificari potest. Ita exposuit hunc locum Augustinus, 16 contra Faust., cap. 29; et Fulgent., lib. de Incarn. et grat., cap. 8.

6. Dico tertio: Christus Dominus eodem modo meruit omnibus hominibus gloriam et æternam vitam. Est de fide, et ex præcedenti conclusione aperte sequitur; nam per gratiam acceptamur ad gloriam, et ideo Christus, merendo nobis gratiam, meruit etiam gloriam. Quam rationem satis indicavit Paul., ad Rom. 5, dicens: *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*; et infra: *Multo magis abundantiam gratiæ donationis et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum*; et infra: *Ita et gratia regnet per justitiam in vi-*

*tam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum*; et ideo, cap. 6, concludit, gratiam Dei esse vitam æternam, scilicet semine et radice; seu vitam æternam esse gratiam in Christo Jesu Domino nostro; et c. 8: *Si filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*; et 2 ad Timoth. 1, dicit, promissionem æternæ vitæ factam esse in Christo; et ad Titum 3: *Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ*; et hujusmodi testimoniis refertæ sunt Scripturæ. Et confirmatur, nam Christus Dominus sua morte aperuit nobis januam regni cælorum, quæ antea fuerat hominibus clausa, ut infra, super q. 52 D. Thomæ, late dicemus; ergo meruit nobis regnum cælorum, atque adeo æternam beatitudinem. Ratio jam tacta est, quia meritum gloriæ conjunctum est cum merito gratiæ, non quia omnis, qui meretur gloriam, mereatur gratiam; hoc enim necessarium non est, potest enim gratia gratis dari, per quam quis ex justitia gloriam mereatur; sed quia qui meretur gratiam, etiam meretur gloriam; nam eo modo quo habet gratiam ex merito de condigno, debetur illi ex justitia gloria. Et hoc modo parvulis in gratia deudentibus datur gloria ex meritis Christi, et debita ex justitia, non propria, sed Christi. Addi etiam possunt rationes aliæ et congruentiæ, quia hic concurrunt omnes conditiones necessariæ ad meritum, et valor operum Christi non solum condignus est, sed etiam superexcedens; pertinet etiam hoc ad dignitatem quamdam et excellentiam ipsius Christi, et ad majorem perfectionem reparationis nostræ; ac denique ad meliorem divinæ providentiæ rationem, ad quam pertinet ut inferiora per superiora reducantur ad suos fines.

7. Ex his sequitur, nulli hominum fuisse unquam remissum peccatum, præsertim originale aut mortale, nec datam esse gratiam primam, aut gloriam, nisi propter merita Christi. Hoc sequitur evidenter ex dictis; quanquam enim meritum Christi dicatur causa sufficiens horum effectuum in nobis, prout causa sufficiens distinguitur a causa efficaci, seu actu efficiente, non tamen dicitur causa sufficiens, prout distinguitur a necessaria; ita enim Christus sufficienter nobis meruit prædicta dona, ut sine ejus merito obtineri non possint. Et hoc modo dicitur meritum Christi causa universalis istorum effectuum in omnibus hominibus, quia in quibuscunque fiunt, per illud meritum fiunt, quamvis ex ip-

sorum hominum defectu non in omnibus fiant. Et hoc convincunt omnes Scripturæ citatæ, quæ Christo seu fidei ejus, tanquam causæ aut medio necessario, hujusmodi effectus attribuunt; quia *non est datum aliud nomen hominibus, in quo salvi fiant*; et in particulari de hominibus qui ipsam incarnationem præcesserunt, de quibus nonnulla poterat esse difficultas, hoc late ostendimus supra, q. 1, art. 3.

8. *Objectio prima.* — *Responsio.* — Quod si obijciatur, meritum debere antecedere præmium tempore vel natura, respondetur: ex natura rei, et nulla interveniente dispensatione, fortasse ita est, quia meritum est aliquo modo causa efficiens, seu dispositio, aut via ad præmium (omnibus enim his nominibus illud appellat D. Thomas variis in locis, ut patet 1 p., q. 23, art. 3, et q. 62, art. 4, et q. 29 de Verit., art. 6); simpliciter tamen non est semper necessarium ut in re ipsa meritum antecedit præmium, sed satis est si præcedat in præscientia ejus, qui redditurus est præmium; cum enim meritum non sit causa per se physica præmii, sed moralis, excitans seu movens illum qui daturus est præmium, influere suo modo potest, antequam realiter existat, si per cognitionem moveat præmiantem, in quo similitudinem quamdam habet cum causa finali.

9. *Objectio secunda.* — *Responsio.* — Sed instabit aliquis, quod nec propter merita Christi prævisa potuerit dari gratia antiquis Patribus, nam prius intelligitur prævisa ipsa gratia antiquorum Patrum, quam Christi merita, quia per illam gratiam parata est via ad exequendam incarnationis mysterium; per illam enim electus et sanctificatus est peculiaris populus, ex quo Christus nasceretur; per illam impetrabant antiqui Patres filios, ex quibus Christus descenderet; per illam merebantur aliquo modo exhibitionem tanti mysterii; per illam denique ipsa beatissima Virgo disposita fuit, ut esset digna Dei Mater. Hac difficultate superatus, Driedo dixit, eas præparationes, quas divina gratia effecit atque præmisit in populo suo, ut ex illo Christus nasceretur, esse quidem divinæ gratiæ dona, in Christum ut in finem ordinata, non tamen propter ejus merita collata. Sed est intolerabilis sententia, alias nec prima gratia sanctificans, nec præservatio Virginis ab originali peccato esset ex meritis Christi, quod erroneum est; sed de sententia Driedonis plura in sect. seq. Nunc præsens

objectio, si meminerimus eorum quæ supra, q. 1, art. 3, tractata sunt, facile expediri potest; probat enim, ordine executionis illam gratiam fuisse priorem quam incarnationem ipsam; atque adeo, si consideremus Dei præscientiam, tantum ut influentem res, prout in executione fiunt, sic merita Christi non fuisse prius secundum rationem prævisa, quam gratiam antiquorum Patrum; tamen secundum ordinem intentionis et divinæ prædefinitio- nis, qua Deus statuit omnes homines redimere per Christi meritum, antecessit præscientia meritorum Christi, propter quæ sic prævisa statuit dare gratiam antiquis Patribus, et merita congruentia, ut sese ad tantum mysterium suscipiendum disponerent, ut quæst. etiam 2, art. 11, explicatum reliquimus.

10. *Objectio tertia.* — Sed ulterius dicet aliquis, si gratia data fuit antiquis Patribus ex meritis Christi prævisis, potuisse etiam dari gloriam; ergo nulla est ratio cur expectatus fuerit Christi adventus, ut illis daretur. Respondetur potuisse quidem id fieri, factum tamen non esse; cujus propria ratio est, quia Deo non placuit; congruentia vero est, quia gratia est simpliciter necessaria ad remissionem peccati et amicitiam Dei, et ideo ne omnes illi homines, qui Christum præcesserunt, perpetuo perirent, conveniens fuit ut Deus provideret illis modum quo possent gratiam consequi et remissionem peccati, scilicet, per fidem vivam in Christum venturum, et per merita ejus prævisa; at vero respectu gloriæ non occurrebat hæc necessitas, quia illa temporalis carentia vel dilatio solum erat pœna quædam, quam non oportuit omni ex parte remitti, cum nondum esset pro reate totius naturæ Deo satisfactum. Quam rationem indicat D. Thomas infra, q. 49, art. 5, ad 4, de qua re ibi, et in q. 52 plura dicemus.

11. *De prima gratia data Adæ in statu innocentie.* — Ultimo, quæret aliquis an quod dictum est de gratia data antiquis Patribus ex meritis Christi prævisis, intelligendam sit etiam de prima gratia et justitia data Adæ in statu innocentie. Quidam enim simpliciter negant, ut Soto, lib. 1 de Natur. et grat., cap. 6. Mihi tamen contraria sententia probabilior supra visa est, q. 1, art. 3, explicando solutionem ad 5 D. Thomæ, ubi ipsius D. Thomæ et multorum Patrum auctoritate comprobavi, Adam in eo statu habuisse fidem Christi venturi. Ex quo principio, juncta etiam auctoritate

D. Thom. 2. 2, q. 2, a. 7, probabiliter elicui Adam fuisse justificatum in fide Christi venturi, et in spe meritorum ejus. Quæ sententia est etiam valde consentanea ordini prædestinationis Christi, quem ibi explicuimus; pertinet etiam ad Christi honorem, et ideo mihi semper magis probanda videtur. Obijciunt autem aliqui, quod in Christo nullum fuit meritum quod non spectaverit ad nostram redemptionem; ergo nullum fuit quod Adamo in statu innocentie prodesse potuerit. Respondetur antecedens esse valde æquivocum; unus enim illius sensus esse potest, in Christo nullum fuisse actum meritorium, qui ad nostram redemptionem non profuerit, ordinatusque fuerit, et sic est verum antecedens, sed consequentia mala, quia potuit idem actus esse utilis et ad redemptionem, et ad alios effectus. Alter ergo sensus est, nullum fuisse in Christo actum meritorium, nisi per modum redemptionis, seu ad solam redemptionem, et in hoc sensu est omnino falsa propositio; nam constat, Christum sibi ipsi meruisse et non per modum redemptionis; constat etiam in quolibet actu Christi fuisse valorem ad totam redemptionem, et ad alios effectus. Ultimus sensus illius antecedentis esse potest, nullum fuisse in Christo meritum, quod non fuerit primario præordinatum propter redemptionem, et dependentem ab illa, seu occasione illius, et hoc, licet probabile sit, non tamen verum, mea quidem sententia, ut circa art. 2, quæst. 1, satis tractatum est.

## SECTIO II.

*Utrum meruerit Christus nobis dispositiones ad gratiam, seu suorum meritorum applicationem.*

1. Hæc quæstio proprie est de merito Christi quoad efficaciam, et est valde controversa inter Catholicos. Duobus enim modis applicantur nobis merita Christi: uno modo, ex opere operato, ut parvulo per baptismum; alio modo, media dispositione vel operatione operantis, ut adulto per contritionem. Dicunt ergo aliqui meruisse Christum ut parvulo baptizato detur gratia; quod autem parvulus baptizetur, non esse ex meritis Christi; et similiter meruisse Christum ut homini contrito remittatur peccatum; quod autem illi detur auxilium efficax quo coneratur, hoc non esse ex meritis Christi. Cui sententiæ videtur multum favere D. Thomas hic, solutione ad tertium. Cum enim proposuisset argumentum, quod fere est fundamentum Capreoli, et alio-

rum qui hanc sententiam sequuntur, scilicet, quia, si Christus meruit nobis salutem, de justitia nobis daretur gratia, et non gratis, et injuste fieret cum his quibus non datur, respondet gratiam non dari nisi iis qui regenerantur in Christo, hoc autem ipsum esse gratiæ, quod, scilicet, homini concedatur regenerari in Christo, et hoc modo salutem hominis esse ex gratia. Cujus solutionis sensus, ut argumento satisfaciatur, esse videtur, applicationem sacramenti non dari ex justitia, sed gratis, et in hoc consistere, quod justificatio nostra gratis fiat, non solum respectu nostri, sed etiam respectu Christi; ergo ex sententia D. Thom. non meruit Christus nobis applicationem suorum meritorum. Eandem doctrinam habet D. Thom., q. 29 de Veritate, art. 7, ad 4, ubi inquit meritum Christi æqualiter se habere ad omnes quoad sufficientiam, non vero quoad efficaciam, et subdit: *Quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divina electione, per quam misericorditer effectus meritorum Christi quibusdam conferuntur, quibusdam vero justo judicio subtrahuntur*; quibus verbis totam rationem efficaciam et applicationis meritorum Christi refert in divinam misericordiam, et nullo modo in ipsius Christi merita. Et evidenter in solutione ad 13 inquit, hoc ipsum gratis alicui nostrum a Deo conferri, quod efficaciam meriti Christi consequatur, et ideo gratiam non evacuari per Christi meritum.

2. Propter quæ testimonia tenuit hanc sententiam Capreol., in 3, dist. 18, ad argumenta Scoti contra quartam conclusionem, quem ibi sequitur Paulus Soncinas, in Summa, q. unica, conclus. 3; sed latius hoc docuit Dried., de Captiv. et redemp. gener. hum., tract. 2, c. 2, p. 3, art. 4, ubi negat, illa dona gratiæ, quæ ante Christum data sunt ut præparationes ad ipsam incarnationem seu ad Christi adventum, fuisse impensa propter merita Christi; quamvis non neget justificantem gratiam, tunc etiam datam esse propter merita Christi futura. Idem docet in tract. 4, c. 2, par. 8, memb. 3; et Ruard., art. 6, contra Luther., ante medium; Ferrar. etiam, lib. 4 contr. Gent., cap. 55, circa responsionem D. Thomæ ad 6 rationem, quamvis de applicatione sacramentorum vel meritorum Christi nihil expresse dicat, tamen de dispositionibus ad gratiam docet, dispositiones remotas non esse ex meritis Christi, de dispositione autem ultima dicit, contra Capreol., dari ex Christi meritis, propter quæ-